

Phaedrus I,12

Cervus ad fontem

Ad fontem cervus, cum bibisset, restitit
Et in liqore vidit effigiem suam.
Ibi dum ramosa mirans laudat cornua
Crurumque nimiam tenuitatem vituperat,
Venantum subito vocibus conterritus
Per campum fugere coepit et cursu levi
Canes elusit. Silva tum excepit ferum,
In qua retentis impeditus cornibus
Lacerari coepit morsibus saevis canum.
Tunc moriens vocem hanc edidisse dicitur:
„O me infelicem, qui nunc demum intellego,
Utilia mihi quam fuerint, quae despexeram,
Et, quae laudaram, quantum luctus habuerint!“

fons, fontis m.	Quelle
resistere	= manere
effigies, -ei f.	Bild, Abbild, Spiegelbild
ramosus, -a, -um	verzweigt, verästelt
cornu, -us n.	Horn; Pl. Geweih
crus, cruris n.	Bein, Unterschenkel
nimius, -a, -um	übertrieben, zu stark ausgeprägt
tenuitas, -atis f.	schmale Form, Zartheit
venantes, -um m.	Jäger (Plural)
conterritus	= territus
elusit	= effugit
ferus	= animal
retinere, -eo, -ui, retentus	zurückhalten, festhalten
saevus, -a, -um	wild
morsus, -us m.	Biss, Angriff (mit Bissen)
edere	hervorbringen, von sich geben
demum	= denique, postremo
despicere, -io, -spexi, -spectum	verachten, geringschätzen
luctus, -us m.	Leid, Schmerz
habere	hier: bringen